P2988
Bibliothek der
Juristischen Fakultät Halle/S.
26.

DISSERTATIO INAVGVRALIS JVRIDICA

# DE REMISSIONE TORMENTORVM IN ACTV CONFESSIONIS

QVAM
CONSENSV ET DECRETO MAGNIFICI JVRECONSVLTORVM ORDINIS

PRÆSIDENTE

AVGVSTINO LEYSERO
IN AVLIS BRVNSVICENSIBVS ET LVNEBVRG. CONSILIARIO, IN TRIBVNALI GVELPHERBYTANO ADSESSORE, IN ACADEMIA JVLIA JVRECONSVLTO CELEBERRIMO

PRO LICENTIA
SVMMOS IN VTROQVE JVRE HONORES ET PRIVILEGIA DOCTORALIA RITE CONSEQVENDI
AD DIEM XIX. JVL. MDCCXXIIX.
IN JVLEO MAJORI
HORIS ANTE ET POMERIDIANIS
DEFENDET

CHRISTIAN. AVGVST. GRELL
PEGAV. MISN.

---

HELMAESTADII
TYPIS PAVLI DIETERICI SCHNORRII
ACAD. TYPOGR.

V 923

V 923
Bibliothek der Juristischen Fakultät Halle/-
1965 K 46

V 923

Juristischen Bibliothek der Fakultät Halle

# CONSPECTVS DISSERTATIONIS.

§. I. *Maleficia remanere non debent impunita.*

§. II. *Cauſæ præcedentis poſitionis impulſivæ.*

§. III. *Magiſtratus tamen absque cauſæ cognitione, & priusquam de corpore delicti certò conſtet, ad pœnam haud procedat.*

§. IV. *Id quod expreſſe deſiderant leges.*

§. V. *Non ſufficit ſcire delictum commiſſum eſſe, ſed & quisnam commiſerit. Finis torturæ.*

§. VI. VII. *Quæ à judice obſervanda ſint ante torturam, recenſentur.*

§. IIX. *In tortura ipſa peccare poteſt judex vel in exceſſu vel in defectu.*

§. IX. *Effectus confeſſionis ſub promiſſione veniæ & impunitatis elicitæ.*

§. X. *An ejusmodi veritatem eruendi medium licitum ſit?*

§. XI. *Tranſitio ad exceſſum. Exemplum enormis exceſſus.*

§. XII. *Quid de hoc exceſſu ſtatuendum, an mitiget pœnam?*

§. XIII. *Proponitur principale argumentum & thema hujus diſſertationis. Nomen confeſſionis.*

§. XIV. *De qua confeſſione ſermo ſit, an de civili, an criminali? an confeſſio ſub territione verbali, ſicut & in judicio non in loco torturæ ſponte facta hûc pertineat.*

§. XV.

§. XV. *In actu confeſſionis tormenta ſunt remittenda, & quam ob cauſam.*

§. XVI. *An art.* 58. O. C. *de ratificatione confeſſionis explicari poſſit, nec ne?*

§. XVII. *Deciditur hoc dubium à Scabin. Lipſ.*

§. XIIX. *art.* 58. O. C. *extendi debet ad confeſſionem circumſtantiarum.*

§. XIX. *Idem dicendum de nominatione ſocii criminis ſeu complicis.*

§. XX. *Tormenta ſemel relaxata num denuo adſtringi queant? Illuſtratur exemplo.*

§. XXI. *Exceptio à regula, ubi, cum ſoluta fuerunt tormenta, torturam continuari non conceditur.*

§. XXII. *Objectioni contra art.* 58. O. C., *augeri ſcilicet per remiſſionem & reiterationem tormentorum cruciatus, reſpondetur.*

§. XXIII. *An judici ſalva conſcientia hoc modo cruciatus augere permiſſum ſit?*

§. XXIV. *Exceſſum tamen per crebram remiſſionem & reiterationem tormentorum committi poſſe affirmatur, atque reſponſo Scabinorum Lipſienſium probatur.*

§. XXV. *An inquiſitus in tormentis interrogari poſſit? Negant JCti Wittebergenſes.*

§. XXVI. *Rationes, cur affirmativa potius amplectenda ſit?*

§. XXVII. *Diſſentiunt à Wittebergenſibus Scabin. Lipſ.*

§. XXIIX. *Notarius adhibitus remiſſionem tormentorum diligentiſſime conſignare debet.*

§. XXIX. *Quomodo hæc annotatio fieri ſoleat.*

§. XXX. *Judicium Oldekopii de officio judicis in tortura.*

Q. D. B. V.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-729504-p0004-5

Q. D. B. V.

§. I.

QVam ſoliciti fuerint Romani, ne maleficia maneant impunita, ſatis cognoſcere licet ex *l.* 18. §. 1. *ff. de Iudiciis, l.* 51. §. 2. *ff. ad L. Aquil. l.* 70. §. 5. *ff. de Fidejuſſor.* Reipublicæ nihil magis damnoſum eſſe, quam ſceleſtis & nefariis nimium indulgere factis experti erant. Huic itaque malo mederi ſtudebant, & homines e medio ſi tollantur facinoroſi prodeſſe docebant, *l.* 28. §. 15. *ff. de pœnis.* Hinc ſedulo commendat hanc curam Jureconſultus VLPIANVS, cum in *l.* 13. *pr. ff. de offic. præſid.* ſcribit: Congruit bono & gravi præſidi, curare, ut pacata & quieta provincia ſit, quam regit, quod non difficile obtinebit, ſi ſolicite agat, ut malis hominibus provincia careat, eosque conquirat.

§. II.

Quid vero Reipublicæ magis ſuaderi poteſt, quam malorum perſecutio? *l.18.pr.ff. de injur.* Nam pœnis adfici delinquentes deſiderat non ſolum juſtitia divina. *c.* 32. *cauſ.* 23. *qu.* 5. Homines namque miniſtri ſunt & ultores iræ Dei in his, qui malum operantur. *can.* 27. *cauſ.* 23. *qu.* 5. Sed etiam ipſe reipublicæ ſtatus, ſi quietus & tranquillus eſſe debet, pœnas requirit. Pœnarum enim exemplo à delictis homines deterrentur *l.* 31. *pr. ff. Depoſiti.* & unius pœna metus poteſt eſſe multorum. *l.* 1. *C. ad L. Jul. repet.* Expedit timere furti pœnam, inquit PAVLVS *l.* 27. §. 4. *ff. de pactis.* quid? quod cum mali coërcentur, quietius inter malos vivunt boni. *c.*18. *cauſ.*23. *qu.*5.

§. III.

Sicuti graviſſimis his ex cauſis magiſtratus, cui ſalus reipublicæ commiſſa eſt, laudari meretur, ſi debitam adhibet vigilantiam, ne facta facinoroſorum impunita maneant; ita merito culpari poteſt, ſi accuſatum vehementius, quam decet, affligit & illum absque cauſæ cognitione abſtrahit ad ſupplicium, atque infringere velle hominum improbitatem ſufficere putat, nec quærit, an adſit corpus delicti, cum tamen de hoc præcipue conſtare debeat, atque id à BRVNNEM. *ad l.* 1. *ff. de SCto Silan. & Claud.* fundamentum totius judicii criminalis dicatur. Niſi de corpore delicti judici conſtiterit, monet PROSP. FARINAC. *L.* 1. *prax. crim. tit.* 1. *qu.* 2. non poterit ad capturam devenire multo minus ad pœnam. ANGEL. *in tract. de Malefic. verb. quod fama publica n.*108.

§.IV.

## §. IV.

Verùm non Dd. ſolum hanc fovent opinionem, ſed & JVSTINIANO nihil æquius viſum eſt. *l.* 1. §. 4. *de SCto Silan. & Claud.* CAROLVS V. *in ordinat. Crim. art.* 6. JVSTINIANI diſpoſitionem denuo recepit atque confirmavit: *Darzu ſoll auch ein jeder Richter vor der peinlichen frage ſich erkundigen und fleiſſig nachfragens haben, ob die miſſethat, darum er angenommen, berüchtiget und verdacht, auch beſchehen ſey oder nicht.* Vniverſalis hinc regula in cauſis criminalibus recepta eſt: quod nemo ad mortis ſupplicium condemnari poſſit, niſi liquido de crimine ipſo ſeu corpore delicti cum omnibus circumſtantiis & qualitatibus conſtet. CARPZ. *P. IV. Conſt.* 33. *def.* 1. MOLLER. *Lib.* 3. *Semeſtr.* 40. Liquidò autem & plene dicitur conſtare de delicto, ſi de eo vel per evidentiam facti vel per teſtes conſtat. FARINAC. *prax. crimin. L.* 1. *tit.* 1. *qu.* 2. *n.* 6.

## §. V.

Poſtquam ex certis relationibus & argumentis judex comperit, delictum revera eſſe commiſſum, rationem habet perſonæ delinquentis. Omni veſtigat cura, quo indicia reſciſcere poſſit, & decernere torturam. Tortura namque datur non ad liquidandum factum, ſed perſonam. ZANG. *de quæſt. ſeu tort. reor. prooem. n.* 33. Poſtquam legitima cognovit indicia, *redliche anzeigungen* O. C. *art.* 20. reo perſeveranter maleficium negante, venitur ad tormenta, &, quod ſolis verbis non potuit elici, vi eruitur. *l.* 1. §. 1.

*l.* 18. §. 1. *ff. de quæſtion. Tacit. Ann. II.* 30, 4. & *IV.* 45, 3. Veri enim inveniendi cauſa tormentis & cruciatibus quæritur, ſcribit *Cic.* 2. *ad* HERENN. Impp. pariter DIOCLET. & MAXIMIAN. *l.* 10. 12. *C. de quæſtion.* ad illuminandam veritatem per tormenta ſervos interrogari jubent.

## §. VI.

Judex non in tortura ipſa tantum, ſed etiam ante illam cautum atque circumſpectum ſeſe gerere neceſſe habet. Ante torturam hoc obſervet, ne confesſionem facinoris tormentis exprimere conetur, ſi reus jam plene eſt convictus, *l.* 16. 18. *C. de pœn. l. ult. C. de probat.* quinimo in ſanctione Carolina diſertis verbis conſtitutum *art.* 69. legimus: *So der beklagte nach gnungſamer beweiſung nicht bekennen wolt, ſoll ihm angezeiget werden, daß er der miſſethat überwieſen ſey, ob man dadurch ſein bekentnis deſto eher auch erlangen könte, ob er denn darüber nochmahls nicht bekennen wolt, daß er doch als obſtehet, gnungſam überwieſen wäre, ſo ſoll er nichts deſtoweniger der überwieſenen miſſethat nach ohne einige peinliche frage verurtheilet werden.* Idem invenimus in *art.* 67. Sufficit igitur alterutrum, inquiſitum vel confeſſum vel convictum eſſe. *art.* 22. *O. C. Soll jemand zu peinlicher ſtraffe verurtheilet werden, das muß aus eigenem bekennen oder beweiſung geſchehen.* ZANG. *tr. de quæſt. ſeu tort. reor. c.* 5. *n.* 16. FARINAC. *prax. Crim. L.* 1. *qu.* 38. *n.* 4. BRVNNEM. *ad L.* 8. *C. de quæſtion.*

§. VII.

§. VII.

Porro error committi poteſt, ſi reus absque legitimis torquetur indiciis. De quo ANGEL. *in tr. de Maleſic. verb. quod fama publica. n.* 36. ita judicat: Quodſi indicia non præcedant, & inquiſitio formetur non præcedentibus indiciis, licet reus confeſſus fuerit in tormentis & poſtea ratificaverit, non tamen ex tali confeſſione etiam ratificata poterit damnari. Huc quoque collineat, quod habet CRVSIVS *in Criminal. p. I. cap.* 62. 6. Ex præcipitantia denique fieri poteſt, ut tormenta adhibeantur, cum delictum ſine tortura, *ohne die peinliche und ſcharffe frage*, potuiſſet probari. Tormenta ideo ſunt inventa, ut veritas, quæ erui nequit, inclareſcat, & eſt quaſi cæterarum probationum ſubſidiaria. Si aliter extorqueatur confeſſio, nullius momenti eſt. BRVNNEM. *ad L.* I. *ff. de quæſtion.* GOTHOFRED. *ergo ad dict. l.* I. *ff. de quæſt.* ſcribit: Conſiderare judex debet, an delictum alia probari poſſit ratione, quam per quæſtionem & torturam, cum ad ea niſi ſubſidii loco non ſit decurrendum. Ceſſat remedium extraordinarium & ſubſidiarium, ſi adeſt ordinarium. *l.* 16. *ff. de minor.*

§. IIX.

Conſideratis illis, quæ obſervanda veniunt ante torturam, contemplationi eorum, quæ perpendenda ſunt in tortura ipſa, nos accingimus. Sicut autem judici incumbit, totum proceſſum criminalem, utpote in quo de vita & ſanguine hominis agitur, ſecundum leges atque religioſiſſime tractare;

 ita

ita vel maxime conſcientiam & diſpoſitiones Legislatoris in tortura ob oculos habere debet. Iniquiſſimum enim eſſe arbitror, illicitis mediis perſuadere, in tortura excedere, donec tandem confeſſio per fas nefasve extorqueatur, atteſtata contra reum cumulare, & omnem movere lapidem, ut innocens opprimatur. Ex quibus colligi poteſt, judicem ab officii ſui religione in tortura duobus modis declinare & peccare poſſe, vel in exceſſu vel in defectu.

## §. IX.

Nihil vero aliud per defectum ſignificare volumus, quam intempeſtivam miſericordiam exercere, tormentis ſecundum modum præſcriptum non uti, tormenta quidem adhibere, non autem tanquam remedium eruendi veritatem, item doloſis potius perſuaſionibus atque promiſſionibus veniæ & impunitatis confeſſionem elicere. Quam valida hæc ſit confeſſio & in quantum convincat confitentem, communicat FARINAC. Confeſſio emanata ſub ſpe impunitatis à judice promiſſæ, qui promittere non poteſt, dicitur extorta per dolum & ideo confitentem non afficit. *prax. Crimin. Part. III. quæſt.* 81. *n.* 42. *cap.* 1. Hinc judici maxime cavendum ſcribit BRVNNEM. *Proceſſ. Inquiſit. cap.* 8. *membr.* 1, *n.* 53. ne confeſſionem eruat promiſſione impunitatis, à qua, quantum fieri poteſt, abſtineat, atque aliis juſtioribus modis ſtudeat veritatem delictorum invenire. Etſi ad eruendam veritatem judici ſimulare liceat; longe tamen aliud eſt fingere & ſimulare. Talis ergo confeſſio ſufficiens



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-729504-p0010-8

ficiens haud erit ad condemnationem, propterea, quod confeſſio iſta fiducia promiſſæ impunitatis & deſiderio liberationis è carcere atque tormentis conſequendæ facta cenſetur. BRUNNEM. *ad l.* 51. *ff. ad L. Aquil.*

## §. X.

Quid? quod doloſe perſuadere plus eſt, quam compelli atque cogi. *l.* 1. §. 2. *ff. de ſervo corrupt.* & judex inferior non debet confeſſionem ſpe impunitatis elicere, quia, ſi promiſerit, ipſe non poteſt ſtare promiſſis, cum tamen juſtitia & naturalis dictitet æquitas fidem non fallere, ſed ea, quæ placuerunt, ſervare. *l.* 1. *ff. de pact.* Has autem ob cauſas judex, quod ab initio pollicitus eſt, poſtea præſtare nequit: quoniam pœnæ perſecutio non voluntati judicis mandatur, ſed legis auctoritati reſervatur. *l.* 1. *§. quorum alterutrum ff. ad SCt. Turpill.* BRUNNEM. *in l.* 51. *ff. Ad L. Aquil.* factis quidem controverſis leges accommodare poteſt, non leges condere: via hæc legis eſt non judicis. GOTHOFRED. *ad l.* 51. *ff. Ad L. Aquil.* Quoniam deinde pœnas legibus conſtitutas mollire in judicis non eſt poteſtate, & qui molliorem à delinquente repetit pœnam infamia notari debet propter *l.* 8. §. 2. *C. ad L. Jul. de vi publ.* In Legibus pariter Electoratus Saxoniæ hâc de re expreſſam legimus diſpoſitionem, *Deciſ.* videlicet *XCI.* in qua ſancitum, ne confeſſio in delictis pœnam mortis inferentibus ſub promiſſione gratiæ eliciatur.

§. XI.

§. XI.

In præcedenti §. IIX. dixi: Judicem in tortura ipſa peccare poſſe vel in exceſſu vel in defectu. Poſtquam de poſteriori pro inſtituti ratione egi, converto me ad exceſſum. Omnes autem exceſſus ordine recenſere, hujus loci non eſſe autumo, ſed ad eum potius ſpectare videtur, qui prolixum tractatum conſcribere ſuſceperit. Ad rem ipſam itaque progrediamur. Quo facilius tamen ad argumentum hujus noſtræ diſſertationis præcipuum ducamur, paucis, quid ſtatuendum ſit de eo exceſſu, quum reus ſubſidio torturæ delictum cum omnibus circumſtantiis confitetur, & judex nihilominus denuo illum ſub tormentis de jam facta confeſſione interrogat & dilacerat, adnotare lubet.

§. XII.

Quam iniquus, quamque ſit injuſtus talis proceſſus, etiam hoſpiti rerum criminalium ſub aſpectum venit, injicitque admirationem. Finis torturæ, monente §. V. diſſertationis noſtræ, eſt, ut veritas innoteſcat. Fine autem obtento & veritate explorata, quid opus habemus mediis? Exinde quoque Scabini Lipſienſes menſ. April. 1724. ita pronunciarunt: *Worüber inquiſitin bereits unter der marter fol. daß ſie ihre ſünde bekenne, und doch gemartert werde, beſchwerde geführet: So iſt vor allen dingen, was es hierum allenthalben vor beſchaffenheit habe, und was urſachen ſolches auf die maſſe vorgegangen, ausführliche und beglaubte nachricht zu denen acten zubringen.* Et iidem Domini in ſententia definitiva menſ. Jun. 1724.

lata

lata hunc exceſſum præterire noluerunt: *Vielmehr aus den fol. erwehnten erbärmlichen ſchreyen, daß ſie ihre ſünde bekennet, und doch gemartert werde, wie ſie nicht wiſſe, noch erinnert ſey, weswegen man ſie martern lieſſe, ſolchen exceß zuerkennen giebet, da doch inquiſitin ihr bekäntnis poſitive auch richtiger als vormahls gethan,* quinimo à pœna ordinaria recedendum eſſe judicarunt.

## §. XIII.

Quomodo ſit procedendum, ſi delictum in eculeo confeſſus eſt inquiſitus, vidimus. Conſiderabimus his præmiſſis, quid à judice requiratur, ſi maleficus ſub tormentis maleficium quidem nondum confeſſus eſt, confiteri tamen promittit. Nominari vero ſolet hæc confeſſio *Vhrgicht*, de quo nomine KEYSER. *in Prax. Crim. part. I. cap. IX. art.* 4. §. 27. *Diejenige antvvort, und das bekentnis, vvelches* inquiſit *bey vollſtreckung der tortur oder ſcharffen frage thut, vvird ingemein uhrgicht genennet*, & denotat idem hoc vocabulum teſte CARPZ. *part. III. qu.* 125. quod confeſſio, *bekentnis*, unde quoque vocatur *peinliches bekentnis*.

## §. XIV.

Nos loqui de confeſſione tormentis extorta, ex antecedenti §. jam apparet. Igitur quæ poſtea dicemus, trahenda non ſunt ad confeſſionem civilem, de cujus variis ſpeciebus vide *C. J. A. Lib. XLII. tit.* 2. *th.* 3. Nam civilis dicitur libera & ſpontanea, quæ fit

ſponte & libere abſque metu & tormentis. Noſtra vero metu & tormentis extorquetur, ac nominatur coacta ſive criminalis. Hinc denuo elucet, confeſſionem, quæ in territione verbali & nuda *beym bloſſen vorſtellen*, a reo exprimitur, huc non pertinere, quoniam non eſt vere tortura, ſed ſimulatio tantum carnificis nuda de torquendo reo abſque omni tactu & apprehenſione: quam verbalem territionem his fere verbis indicere ſolent Dicaſteria: *Daß ihr wohl befugt den gefangenen dem ſcharff-richter vorzuſtellen, und durch denſelben, als ſolte und wolte er ihn angreiffen, jedoch aber unangegriffen in güte befragen zu laſſen.* CARPZ. *p. III. qu.* 117. Multo minus ſermo nobis eſt de ea confeſſione, quando captivus in loco judicii non interveniente tortura, ſed ſponte, etiam abſque territione verbali, delictum fatetur.

## §. XV.

Ne multis lectorem morer, judex, ſi reo in actu confeſſionis tormenta non relaxat, agit contra leges & committit exceſſum. Hanc enim tormentorum remiſſionem fieri vult Imperator CAROLUS V. quum *art.* 58. *Ordinat. Crimin.* diſponit; *Die ſage des gefragten ſoll nicht angenommen oder aufgeſchrieben werden, ſo er in der marter bekennt, ſondern ſoll ſeine ſage thun, ſo er von der marter gelaſſen iſt.* Singularem eſſe hanc cautelam docet BERN. ZIERITZ *ad Conſtit. Crimin. cap.* 58. & bono judici cumprimis obſervandam, quippe quæ plurimum momenti ad veritatis inveſtigationem ſit allatura. Nam haud

veriſimile eſt, in ipſis torturæ anguſtiis conſtitutum, utut maxime velit, veritatem poſſe eloqui, aut perpetrata cum circumſtantiis in memoriam revocare. CARPZ. *part. III. qu.* 124. *n.* 27.

## §. XVI.

Poſſet hîc quis hæſitare & movere dubium, annon alleg. *art.* 58. *O. C.* explicari poſſit de confeſſionis ratificatione. Nam verba legis: Sed reſponſionem reus ſuam det atque confiteatur, *ſo er von der marter gelaſſen iſt;* plenam liberationem a tormentis ſignificare videntur. Sola autem tormentorum remiſſio non eſt omnigena liberatio. Aſt huic reſpondeo, Imperatorem in antecedenti *art.* 56. ſpecialiter jam de ratificatione egiſſe, ubi diſpoſitum legimus: *Der gefangene ſoll auch zum vvenigſten über den andern oder mehr tag nach der marter und ſeiner bekentnis fürgeführet vverden &c.* Si autem ſpecialis de ratificatione facta eſt diſpoſitio *art.* 56. quid opus eſſet generali *art.* 58. Quid? quod in *art.* 58. Carolus V. de confeſſione in loco torturæ diſſerit, quum vero *art.* 56. de reiterata confeſſione ſeu ratificatione confeſſionis loquitur, inquit: Extra locum torturæ coram banco judicii biduo vel triduo poſt fieri debet.

## §. XVII.

Vtrum de confeſſione in loco torturæ, an potius de reiterata accipiendus ſit *art.* 58. *Ord. Crim.* docet nos porro reſponſum a Scabinis Lipſienſibus m. Febr.

 1631.

1631. datum: *Obvvohl zu recht erkannt vvorden, daß N. N. vveil er der ihme ſchuld gegebenen verbrechung in guten nicht geſtändig ſeyn vvill, darüber mit der ſchärffe peinlicher vveiſe befraget vverden ſoll &c. So mag doch inquiſit bey vollſtreckung der tortur und noch vvährender marter eigentlichen und in ſpecie auf die articul nicht befraget vverden, ſondern vvenn er ſein bekentnis zu thun ſich erkläret, und er darauf von der marter gelaſſen vvird, vvird ſolches umſtändlich angenommen und mit fleiſs verzeichnet, und dieſes vvird alsdenn für eine richtige uhrgicht billig gehalten. V.R.W.* Carpz. *part. III. qu.* 124.

## §. XIIX.

Relaxari debere tormenta durante confeſſionis actu, probavi. Requirendum vero non ſolum eſt ex reo, remiſſa tortura, principale delictum, ſed omnes etiam circumſtantiæ perſcrutandæ ſunt: quibus, puta, de cauſis, quâ die, hora, quo loco perfecerit crimen? quibus armis hominem interfecerit, quos ictus, quæ vulnera ei inflixerit, quâ corporis parte confoderit. Cuncta quippe judex, remiſſo demum dolore, inveſtigare debet, ne innocentem opprimat, vel nocentem dimittat; & cum unica circumſtantia in commiſſo crimine aut privet vita, aut mortis pœna liberet, perneceſſariam eſſe accuratam interrogationem mihi perſuaſum eſt: quapropter etiam ſummo eam commendare ſolent ſtudio Dicaſteria interrogationem. Sic certe reſponderunt Scabini Lipſienſes menſe April. 1724. *Dievveil alß inquiſitin:*

*daß*

*daß ſie das Kind mit umbringen helffen, und daß ſie der S. zu umbringung des Kindes anlaß vorerſt gegeben, bekannt, beydes aber allzu general, und ermeldte inquiſitin auf befragen vor allen dingen ſich deutlicher expliren ſollen, auf vvas art das umbringen und veranlaſſen geſchehen, und vvorinnen es beſtanden, daß ſie aber deſſen ſich gevveigert, oder man ſie darauf gefragt habe, nicht vvahrzunehmen, gleichvvohl ſofort mit anlegung der daumen-ſtöcke verfahren, ingleichen der inquiſitin die ſchnüre, und vveiter die ſpaniſchen ſtiefeln anlegen laſſen, jedoch aber ob man die inquiſitin dabey etvvas befraget, geſchvveige denn ihr dem urthel zu folge die allda ſpecificirten frag-ſtücke vorgehalten, ervvehnet, bey ſolcher bevvandtnis aber, ob und vvoher inquiſitin des Judicis intention, und vvas dieſer annoch von ihr deſiderire, oder ſie vor umſtände beantvvorten ſolle, abnehmen und deſſen verſichert ſeyn können.*

## §. XIX.

Sicut per totum confeſſionis actum quod ad minimas etiam circumſtantias remitti cruciatus jura exigunt; ita quoque nominatio ſocii fieri non debet in actu torturæ, ſed relaxatis tormentis, propterea quod itidem eſt confeſſio. Licet judex officio ſuo quoad cætera rite præfuerit, &, quod circa ſocii nominationem imprimis notari meretur, in ſpecie de individuo, an Cajus ſit criminis ſocius, non interrogaverit, ſed generalem conceperit interrogationem: an habuerit ſocios criminis, quinam illi fuerint, pariterque ſecundum BRVNNEM. ſen-

tentiam *in Proceſſ. Inquiſ. cap.* 8. *membr.* 5. *n.* 32. a ſuggeſtionibus abſtinuerit tanquam à peſte, ac ſanctionem CAROLI V. *art.* 32. *O.C.* ſemper habuerit ob oculos; attamen, ſi non fuerint relaxata tormenta, nullum ſocii nominationem præſtare poſſe effectum credo. Plenius nominationem ſocii explicuit D. RIVINVS *in diſp. De denominatione complicis à delinquente & damnato ad mortem fragili indicio. Lipſ.* 1727.

## §. XX.

Alienum à ſcopo non eſſe arbitror quæſtionem illam inſerere, an ſemel relaxatis tormentis tortura reiterari queat? Nihil obſtat, quominus propter *l.* 16. *ff. de quæſtion.* quippe quæ generatim loquitur, hoc affirmemus; & procul dubio certum eſt, fore, ut remiſſo dolore ſi nocens ſciret, ſe non amplius tortum iri, nunquam confiteatur, aut tamen confeſſionem obſcuram & implicitam edat. Quænam vero confeſſio ita denominetur, explicat CHRISTOPH. CRVSIVS *de indiciis delict. part. I. cap.* 61. Incongrua atque obſcura reſponſio eſt, ſi reus quidem reſpondet, at non categorice & abſolute, ut ſi quidem dicat interrogatus, neſcio vel non recordor, ſi de facto proprio quæratur. Porro, ſi reus reſpondet, credo, nempe in iis, quæ ſenſu corporis percipiuntur, vel ſi per verba alia dubia & incerta reſpondeat, cui ſimilis eſt, qui ſe refert ad reſponſionem ſociorum, quorum depoſitio quoque obſcura & mutila inventa fuit; neque enim dubium per æque dubium probari poteſt. Sed de hâc obſcura confeſ-

ſione

ſione quid ſentiendum? num perſpicua, diſtincta & melior reſponſio, cum jam cruciatus remiſſi eſſent, & reus tormentis aliquantulum liberatus, iterum vi torturæ poteſt erui? Inſtruit nos hâc re VLPIANVS, qui *l. 6. pr. ff. de confeſſ.* ita diſſerit: Certum confeſſus pro judicato erit, incertum non erit, *& l. 11. §. 7. ff. de interrog. in jur. faciend.* Nihil intereſt, neget quis, an taceat interrogatus, an obſcure reſpondeat, ut incertum dimittat interrogatorem. Quia ergo negare, tacere, & nihil reſpondere paria dicuntur, confeſſio indiſtincta, implicita, generalis & minus expedita ad condemnationem minime ſufficit. BERN. ZIERITZ. *ad Conſtit. Crim. cap. 48.* Quumque aliud veritatem eliciendi medium in delictis atrocibus, quam triſtem torturam, non habemus, ſtatuendum omnino erit: Reum ad diſtinctiorem & meliorem confeſſionem, licet jam tortura fuiſſet remiſſa, diris cogi poſſe atque debere tormentis.

## §. XXI.

Caſum obvenire ſolere, ubi, poſtquam remiſſa ſunt tormenta, torturam continuari nefas habetur legibusque haud conceditur, non nego, quemadmodum è Scabinatu Lipſienſ. menſ. Jun. 1724. reſponſum fuiſſe cognovi: *Wenn ja, ob der inquiſitin bekentnis der ſeſſions regiſtratur und des Medici berichte gemäs ſey, einiger zweiffel vorgefallen, mit fernerer continuation billig in ruhe zuſtehen, und anderweitige rechts-belehrung einzuhohlen geweſen.* Hæc regula tamen non eſt, ſed limitatio potius regulæ in caſu ſingulari,

gulari, quo medicus ſimulque chirurgus, ſe in cadavere nulla violentiæ ſigna vidiſſe, referebant, & violentam infantis mortem probabiliter ſolummodo argumentabantur, rea autem, ſe violenter occidiſſe infantem, cum omnibus circumſtantiis confitebatur. Quoniam igitur medicorum rationes probabiles tantum erant, rea contrà veritatem incorruptam atque ſinceram ſe proferre affirmabat, quinimo confeſſionem ſuam ultra indicia extendebat, non ſtatim absque omni prudentum conſultatione torturam continuare & ſingula tormentorum genera experiri judex debuiſſet.

## §. XXII.

Objiciet quis forſan *articulum* 58. *Ordin. Carol.* conditum eſſe propter ſalutem & utilitatem torti; igitur in ejus detrimentum detorqueri non debere; quod fieret utique, ſi modo remittantur, modo adſtringantur tormenta. Et profecto augentur per remiſſionem & reiterationem tormentorum cruciatus. Verum enim vero, licet conceſſum ſit, nihil crudelius & atrocius eſſe, & ab omni jure atque ratione magis alienum, quam ſub veritatis eruendæ prætextu crudeliter miſerum dilaniari hominem; nemini tamen hoc imputare poteſt inquiſitus, quam ſibimetipſi, quia judicem mendaciis onerare ſtudet atque veritatem confiteri vane promittit. Si promiſſa præſtat, & ingenue confitetur, denuo non adhibentur tormenta. Damnum ergo, quod quis ex culpa ſentit, non intelligitur ſentire. *l.* 203. *ff. de Reg. Jur.*

§.XXIII.

## §. XXIII.

Multo minus injuriam infert judex. Injuriam enim ſcribit VLPIANVS *l.* 1. *ff. de injur.* ex eo dictam eſſe, quod jure & juſtitia careat, atque omne quod non jure fit, injuria fieri. Ex qua JCti ſententia patet, judicem, qui tormenta iterat, longe abeſſe à dolo & injuria. Nam Legislator conſtituit primùm, tormentis erui veritatem, quod argumentum prolixius ſupra pertractavi, deinde permittit non ſolum remiſſionem tormentorum in actu confeſſionis, ſed etiam præcipit atque mandat *art.* 58. *Ord. Crim.* Hinc judicem ab omni vacare culpa cenſeo.

## §. XXIV.

Non tamen abnuo, per crebram remiſſionem & reiterationem tormentorum exceſſum poſſe committi; Sed hoc demum caſu, ſi judex remiſſione pro lubitu abutatur. Quomodo autem remiſſione tormentorum abuſive judex uti queat, è ſententia à Scabinis Lipſienſibus menſ. Jun. 1724. data cognoſci poteſt, qui propter enormem hunc abuſum fœminæ, quæ thorum conjugalem militis cujusdam amore violaverat, & infantem ex turpi hoc amore natum manibus trucidaverat ſanguinolentis, pœnam mitigarunt verbis: *Hat* Titia *eine ehefrau, als ſie dem* fol. *befindlichen urthel zu folge dem ſcharff-richter auf gevviſſe maſſe untergeben vvorden, und zvvar* fol. *daſſ ſie mit einem mousquetirer ſich fleiſchlich vermiſchet, und ehebruch getrieben, hernach ein lebendig Kind zur vvelt gebracht, vvelches als es von ihr gevveſen, ſich gerühret, und da es die S. in die hände genommen, gemätzet,*

